



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.30. Pauli Papæ ædificia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.

A. C. 757.

In eodem Conventu Compendiensi Rex Pipinus Imperatoris Constantini Legatos excepit, qui inter alia dona Organa afferebant. Idque omnes Historici adnotarunt; quia nempe tunc primo in Francia fuerunt visa.

*Ann. Nazar.**Mass. Tib.**Lauresch.**Loisel. Me-*  
*tens.*

Ad hunc Conventum Tassilo quoque Dux Bavarix advenerat, & Fidelitatem promiserat, juramentis gravissime obstringens, nam primo Reliquias, quas Rex semper portare solebat, manu contigit; deinde supra tumulos S. Dionysii in Francia, S. Germani Parisiensis, & S. Martini Turonensis, quo se cum Proceribus Boicis contulerat, eandem promissionem renovavit.

§. XXX.

*Pauli Papæ Ædificia.**Ann. Petav.**Paul. epist. 6.**Cod. Carol.*

27.

Cum Bertrada Regina hoc anno 757. filiolam, cui nomen Gisella datum, enixa esset, Rex Pipinus linteolum, quo parvula e sacro fonte levata involuta fuerat, per manus Wulfardi Abbatis S. Martini Turonensis ad Paulum Papam transmisit, quod donum Papa suscepit tanquam certum pignus, Regem velle, ut Gisellam loco filix suæ spiritualis haberet, ac si eam suis manibus e fonte Baptismi levasset; populo deinde in Ecclesia S. Petronillæ congregato, in memoriam Regis dedicavit Altare, & Missa celebra-

ta sub Altari linteum, quod receperat, <sup>Sæcul. VIII.</sup>  
deposuit. <sup>A. C. 761.</sup>

Ecclesia S. Petronillæ in Vaticano e-  
rat prope S. Petrum, quo Paulus Papa <sup>Anast.</sup>  
transferri curavit hujus Sanctæ corpus, <sup>Paul. ep. 12.</sup>  
ex antiquo Cœmeterio, ab ejus nomine <sup>to. 6. Conc. p.</sup>  
dicto, effossum. Nam hujusmodi Cœ- <sup>1690. Sigeb.</sup>  
meteria extra urbem posita, diu negle- <sup>Chr. an. 758.</sup>

cta, & ædificia ad ea pertinentia colla-  
psa fuerant, illo præsertim tempore, quo  
Aistulphus Romam obsidebat. Ergo <sup>Sup. n. 16.</sup>

Paulus Papa Sanctorum corpora inde  
translata, solemnè pompa in Urbem in-  
vecta, congruo honore in Titulis, Dia-  
coniis, Monasteriis, aliisque Ecclesiis se-  
pelivit. Præterea in Ædibus suis pater-  
nis Ecclesiam in honorem Pontificum  
S. Stephani Martyris & S. Silvestri Con-  
fessoris construxit, & magnam vim Reli-  
quiarum illo contulit. Ut vero etiam  
Officium Divinum ibi celebraretur, Con-  
gregationem Monachorum ibidem fun-  
davit additis pinguibus redditibus; id e-  
nim apparet ex aliquo Privilegio, Leon-  
tio Abbati concessio in Synodo, cui Epis-  
copi viginti tres, Presbyteri Ecclesiarum  
Romanarum Titulares octo, & Archi-  
diaconus subscripserunt. Dies huic Sy-  
nodo apposita est secunda Junii, anno re-  
gnantis Constantini quadragesimo, Indi-  
ctione decima quarta, nempe anno Salu-  
tis septingentesimo sexagesimo primo.

*Anast.*

S. 4

Eccle-

Sæcul. VIII.  
A. C. 767.

Sup. n. 26.

Ecclesia dicti Monasterii marmore ornata erat & opere vermiculato, Ciborium autem seu Tabernaculum (\*) argenteum. Græci erant hujus Congregationis Monachi, atque conjectura est, fuisse numero illorum qui suadente S. Stephano Auxentino Romam confugerant, ut Persecutioni Constantini Imperatoris se subtraherent.

• Paulus Papa aliam præterea Ecclesiam ædificavit Romæ in platea sacra prope Templum Romuli in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, illo loco, quo tempore Martyrii sui oraverant, & vestigia genuum eorum petrae impressa dicebantur.

Item in Vaticano intra septa Ecclesiæ S. Petri extruxit Oratorium Sanctæ Virginis opere Musivo & ære pretioso decoratum. Inter alia visebatur Statua Sanctæ Virginis ex argento deaurato centum librarum. Atque in eodem loco sepulchrum sibi condidit.

§. XXXI.

(\*) Tabernacle. Heißet bey unserm Protestanten auf der 324. Seite, Sacramentshäuslein. Auf der folgenden Seite hat er gegeben *Lettres datées*, Regierungsiniegel. Es war nicht das Regierungsiniegel, sondern nur das Jahr der Kayserlichen Regierung angesetzt.